



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De hoc si aliquid de calice sacri sanguinis stillauerit. xlvii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, & captiuum me ducetem in lege peccati, quae est in membris meis. Si autem captiuus erat, minimè pugnabat. Quapropter & captiuus erat, & pugnabat. Igitur legi mentis eius lex quae in membris est repugnabat. Si autem pugnabat, captiuus non erat. Itaque est homo, ut ita dixerim, captiuus & liber. Liber ex iustitia, captiuus ex delectatione quam portat inuitus.

*De presbyteris villanis si in ciuitate offerre audeant. Cap. XLIIII.*

**P**resbyteri ruris in Ecclesia ciuitatis episcopo praesente, vel presbyteris vrbs ipsius, offerre non possunt, nec panem sanctificatum dare, calicemque porrigere. Si verò absentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, soli dare debebunt. *Ex cõcil. Neocaes. cap. 13.*

*De eadem re. Cap. XLV.*

**P**resbyteri qui conregionales non sunt, in Ecclesiis, praesentibus episcopis vel presbyteris ciuitatis, offerre non poterunt, nec panem dare, in oratione autem calicem dabunt. Quòd si absentes sunt ciuitatis sacerdotes, & fuerint inuitati in orationem, soli possunt dare. *Ex decre. Sotheris papa. ca. 13.*

*De illis qui per ebrietatem Eucharistiam euomerint. Cap. XLVI.*

**S**iquis per ebrietatem vel voracitatem Eucharistiam euomerit, XL. dies poeniteat: Clerici, vel monachi, seu diaconi, XL. dies poeniteant, presbyteri, LXX. dies, Episcopi, XC. Si pro infirmitatis causa euomerit, VII. dies poeniteat. *Ex poenitentiali Bedae.*

*De hoc, si aliquid de calice sacri sanguinis stillauerit. Caput XLVII.*

**S**i verò per negligentiam de calice aliquid stillauerit in terram, linguabitur, tabula radetur. Si nõ fuerit tabula, ut non cõculcetur, locus corradetur, & in igne cõsumetur, & cinis intra altare recõdetur, & sacerdos quadraginta dies poeniteat. Si super altare stillauerit calix, forbeat minister stillam, & tres dies poeniteat. Si per linteum altaris ad aliud stilla peruenerit, quatuor dies poeniteat. Si usque tertium, nouem dies. Si usque quartum, quindecim dies: *Ex decre. Pij papa, cap. 3.*

S iiii



D. BURCHARDI. EPIS. VVORMAC.

& linteamina quæ tetigerunt stillâ tribus minister abluit vicibus, calice subterposito, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur.

*De illo qui euomit sacrificium, & à canibus consumitur. Cap. XLVIII.*

*Ex pœnitentiâ Theodo.*

**Q**ui euomuerit sacrificium & à canibus consumitur, annum vnum pœniteat: si autem, quadraginta dies pœniteat. Si in die quando communicauerit sacrificium euomuerit, si ante mediam noctem, tres superpositiones faciat. Si post mediam noctem, duas. Si post Matutinas, vnam.

*De eadem re. Caput XLIX.*

*Ex pœnitentiâ Romano.*

**S**i verò sacrificium euomuerit, quadraginta dies pœniteat. Si infirmitatis causa, septem dies: Si in ignem proicit, centum Psalmos cantet: si verò canes lambuerint talem vomitum, centum dies qui euomit, pœniteat.

*De Eucharistia inueterata. Cap. L.*

*Ex cõcil. Aureliã. cap. 5.*

**O**mne sacrificium sordida vetustate perditum, igne comburendum est, & cinis iuxta altare sepeliendus.

*De illis qui non bene custodierint corpus & sanguinem domini. Caput LI.*

*Ex eodẽ cap. 6.*

**Q**ui non bene custodierit sacrificium, & mus, vel aliud quod aliud animal comederit illud, quadraginta dies pœniteat. Qui autem perdiderit illud in Ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, XX. dies pœniteat. Perfundens aliquid super altare de calice quando offertur, VI. dies pœniteat, aut si abundantius, VII. dies pœniteat. Qui autem perfundit calicem dum solennitas Missæ celebratur, XL. dies pœniteat. Si verò celebrata Missa presbyter neglexerit accipere sacrificium, similiter XL. dies pœniteat, & qui acceperit sacrificium pollutus nocturno tempore, VII. dies. Diaconus obliuiscens oblationem offerre donec offeratur linteamen, quando recitantur nomina pausantium, similiter pœniteat. Qui negligentiam erga sacrificium fecerit, ut vermibus consumptum ad nihilum deuenierit, III. qua-